

stolicae Sedi fidem obseruem, et quidquid hic in Regno tam Apostolica Sedes, quam sui legati sanxerunt, aut sanxerint, irrevocabiliter custodiam, iustitiam excolam, Ecclesias defendam, primitiae, decimae, omniumque ad Ecclesiam pertinentium procurator existam, vitae Episcoporum, presbiterorum, diaconorum, subdiaconorumque, ut caste et regaliter uiuant, provideam; pauperes, viduas, atque pupillos protegam, parentelae illicitam copulam destruens, legitimam dotem anulo, sacerdotisque benedictione constituam, & constitutam corrumpi non permittam; hominum venditionem contradicam, atque in omnibus, quae ad rectitudinis statum congruunt, Deo auctore, me aequum exhibeam. Ducentorum quoque Bizantinorum tributum, meorum omnium consultu Primatum, Sancto Petro, per singulos Annos in resurrectione Domini, de mihi concesso regno persoluendos statuo. Et ut post me regnaturi hoc idem perpetuo seruent, censeo, corroboro, atque sancio. Dono insuper, concedo, atque confirmo apostolicae Sedi, Sancti Gregorii Monasterium, cui Vrana est vocabulum, cum omni suo thesauro, scilicet cum capsula argentea, reliquias sacri corporis eiusdem beati Gregorii continente, cum duabus crucibus, cum calice et patena, cum duabus coronis aureis, gemmis ornatis, cum euangeliorum textu de argento, cumque omnibus suis mobilibus et immobilibus bonis, et Sancti Petri Legatis sit semper ad hospitium, et omnino in potestate eorum. Hoc tamen interposito tenore, ut nulli alii potestati detur, sed omni tempore Sancti Petri sit proprium, et a me, meisque successoribus defensum, atque ab omni homine liberum et securum. Cuiuscunque autem audacia, temerario ausu, praefatum monasterium ex assignato thesauro priuauerit, terribilem illam Iudicis vocem, quam diabolus cum suis Angelis auditurus est, audiat. Praeterea cum Deo seruire regnare sit, vice beati Petri et domini nostri Papae Gregorii, atque post se secutorum in Apostolica Sede, me tuis manibus committo et commendo, hanc fidelitatem sacramento stabilio. Ego, inquam, Demetrius qui et Suinimir, Dei gratia et Apostolicae Sedis dono, Rex, ab hac hora, in antea Sancto Petro et Domino meo Papae Gregorio, suisque successoribus canonice intransitibus, ero fidelis; et ut ipse, siue post eum futuri Pontifices, siue Legati eorum, vitam aut membra perdant, aut capiantur, neque in consilio, neque in facto ero, et consilium quod mihi crediderint, ad illorum damnum scienter nulli intimabo. Regnum autem, quod mihi per manum tuam, Domine Gebizo, traditur, fideliter retinebo, et illud, suumque ius apostolicae Sedi, aliquo ingenio, aliquando non subtraham. Dominum meum Papam Gregorium et suos successores atque Legatos, si in meam potestatem venerint, honorifice suscipiam, et honeste tractabo, et remittam, et vndecumque me inuitauerint, prout potero, eis simpliciter seruiem.

Ex Archivio Lateranensi, et ex actis Concilii Dalmatici. — Baronius. Annales Ecclesiastici. T. XI. p. 484